



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

LII. Henricus VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

Monasterio. Imò huic Ecclesiam suam ad sex annos tradidit. *Adolphus* contra castrum *Franckenstein* à se captum Monasterio subdidit. Antea quidem *Bertholdus* II. id expugnauerat. (e) Acquirat etiam *Wyldeck* cum pertinentiis. *Salzingen*, *Gerstingen*, *Waldenburg* & *Vürstedeck*. Prædonum castra destruxit, eosque dissipavit. AD. MCCCVI. *Hermanno*, Landgravio Hassiæ, conditionaliter vendidit opidum *Fach* pro MCC aureis, sic tamen, ut post sex annos rursus emere velit & possit. Sed in hunc usque diem non factum est. Alvi fluxu moritur *Hamelburgi* AD. MCCCXIII. XII. Kal. Mart. Prælatuæ XXV.

LI. Eber-
harts.

LI. EBERHARTUS.

E' familia *Rodenstein*, Professus Fuldensis, Abbas optabilis, qui Ecclesiam multis debitis gravatam liberavit. Moritur AD. MCCCXIV. Prælatuæ I.

LII. Henric.
VI.

LII. HENRICUS VI.

E' familia de *alto monte*, Professus Fuldensis, postea Præpositus Monasterii *Holtzkirchen*, (quod vel *S. Bonifacius*, seu discipulus ejus *B. Sturmio* condidit, non procul opido *Wertheim*,) deinde Decanus Fuldensis, electus AD. MCCCXIV. Insulam accepit à *Johanne* XXI. AD. MCCCXVI. Bellum ei cum Episcopo in *Würceburg* ob castrum *Wyldeck*, & AD. MCCCXIV. cum *Henrico*, Landgravio Hassiæ, ob *Alsvelt*, quod opidum Abbas obsidebat, *Henricus* verò, Comes de *Henneberg*, *Hermann* III. Filius, retrahere eum volebat, sed captus ab illo. Pax verò facta per *Matthiam* Maguntinum. AD. MCCCXXX. magna civium Fuldensium seditio, quem ignem semper insufflavit *Johannes* de *Zigenhayn*, Advocatus Ecclesiæ; Abbas tamen victor mansit. (f) Eòdem annò cum Comite dicto de *Henneberg* transegit propter bonum castrense in *Saleck*. (g) Etiam cum *Henrico* Landgravio contra Comites de *Zigenhayn* & *Ysenburg* aliquid tentavit; (h) arcem novam construxit in *Fulde* & *Geys*, fodi jussit fontem in monte *B. V.*, multa altaria & capellas fundavit. *Salmönsfer* jus civitatis acquisivit, idque muris & portis munivit. Varia & pretiosa ornamenta de auro & argento dedit: *Corporis Christi festum* introduxit, *Brackenu*, *Stoltzberg*, *Soden*, & alia loca Ecclesiæ incorporavit. Monasterium *B. V.* mirificè auxit & ornavit ædificiis, decimis & aliis rebus, & multa alia præclara fecit. AD. MCCCXLIX. Judæi in malitia sua unanimes clanculùm volebant omnes simul cives in *Fulde* occidere. Sed scelus hoc proditum est, & faba in Apellas cusa, ut eorum sexcenti miserè necati cum

(c) Chron. Henneberg. L. II. c. 29. p. 114. (f) Vid. Brovver. L. IV. p. 321. seq. Fabric. l. c. p. 153. (g) Vid. chron. Henneberg. L. IV. c. 3. p. 143. (h) Fabric. l. c.

cum familiis suis. Moritur AD. MCCCLIII. VII. Id. Septembr. Prælatura XL. Jacet in oratorio, quod extruxerat.

LIII. HENRICUS VII.

LIII. Henric. VII.

E' familia *Craluk*, electus AD. MCCCLIII. in discordia concorditer. Anno sequente bellum habuit cum *Henrico* de *Henneberg*, propter castrum *Werberg*. Vicit tamen & devicit Comitem castrumque. AD. MCCCLIX. *Orto*, Landgravius de *Hassia*, *Hünevelt* clam ceperat, Abbas verò cum adiutoribus suis mox recuperavit. (i) Post triennium pax facta. Sic *Rosforf* Ecclesiæ *Fuldensi* redditur. Occupavit etiam *Borch* in *Hassia*. Anno præcedente *Carolus IV.* Imp. confirmabat ei jus & titulum *Archi-Cancellarii* Imperatricis. Non dedit *Carolus*, sed confirmavit. Diu enim ante eum habuerant. Dedit Ecclesiæ suæ mitram perlis & gemmis præfulgentem, & baculum purè argenteum multi valoris AD. MCCCLXIV. pestilentia occidit multos etiam in *Fulde*. Moritur AD. MCCCLXXII. XV. Kal. Jun. Prælaturæ XIX. Jacet in monte B. Virginis.

LIV. CONRADUS IV.

LIV. Conrad. IV.

E' familia Comitum de *Hanôa*, Professus *Fuldensis*, bellum magis, quàm pacem, amabat, avarus & rixosus homo. Cùm *Stelligerorum* Societas, (k) sub *Ottone* de *Brunswick* cœpta, in *Buchonia* multum grassaretur, & cives & rustici se associarent, multa passus est *Conradus*, qui verò securitatis ergò se contulit in *Spangenberg*. Sed malitiosi *Stelligeri* eum insequabantur, & in janua camerae suæ stantem violenter necarunt AD. MCCCLXXXII. Prælaturæ X.

LV. FRIDRICUS.

LV. Fridericus.

E' familia *Romrod*, natione *Buchonius*, Professus *Fuldensis*: Ministeriales de *Buchenau* cum adiutorio Landgravii de *Hassia Fuldam* mirè affligunt & vexant usque ad interitum. Debita Ecclesiæ debitis aliis cumulavit. *Hamelburgum* ab Episcopo in *Würceburg* obsessum, & *Popenhusen* victum est. Moritur AD. MCCCXCV. Prælaturæ XII.

LVI. JOHANNES I.

LVI. Johannes I.

E' familia de *Merlaue*, natione *Buchonius*. Multa debita à multis temporibus coacervaverat Ecclesia, & insuper ab omni latere vexabatur &

(Ooo)

(i) Dicet tibi eos *Browv.* L. IV. p. 323. quos tamen *Fabric.* l. c. p. 155. socios Landgravii facit. (k) Vid. hist. de Landgrav. *Thuring.* c. 119.